



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Mariae Svaresii, Episcopi Vasionensis, Praenestes
Antiqvae Libri Dvo**

Suarès, Joseph Marie

Romae, 1655

Illvstriss[i]mo Et Excel[lissi]mo Maphaeo Barberino Principi Prænestes.
Ereti Dvci, Etc. ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11894

MO MO
ILLVSTRISS. ET EXCEL. PRINCIPI
MAPHAEO BARBERINO

PRINCIPI PRÆNESTES . ERETI
DVCI , ETC.

JOSEPHVS MARIA SVARESIVS
EPISCOPVS VASIONENSIS.

Felicitatem .

VT I solet esse Dominis gratior ,
& acceptior , qui eorum è fun-
dis excerpitur fructus , ita con-
fido iucundiores Excellentia
Tuæ , fore lucubratiunculam
istam meam , congestam super
Præneste : cui è ruinis resurgent , & splendidius
instauratæ (Princeps Optime) felicissimè , atque
sapientissimè dominaris ; Romanis verò ex le-
gibus solo cedit , quidquid superstruitur . Cum
igitur Excellentissimæ Familiæ vestræ , sim ipse
deuotus exasse , deuinctusq; tot nominibus : cre-
uit enim etiam ingenium quam tulum cumque
meum in sacro comitatu & obsequio magni Ex-

† 2 cel-

cellentiæ Tuæ , Patrui Vrbani VIII. Pontificis
Opt. Max. sanctissimæ , suauissimæque memo-
riæ , crescitque adhuc sub iussa Eminentissimi
Cardinalis Francisci Barberini , patrui Ve-
stri , Ecclesiæ , ac Christianæ Reipublicæ ,
reique Litterariæ bono nati , quidquid hoc
est opellæ varijs è scriptoribus erutum , atque
collectum solo vestro superædificaui , totumque
offerо libens meritò Excellentiæ Tuæ , & , si-
cuti loquuntur Iurisconsulti , repræsento . Insi-
tiuus est fructus , & Barberino nomini , iure
optimo debitus . Temporum iniuria , clades
bellicæ , rerumque vices mutant , & euertunt
omnia . Vrbium , quæ floruerunt , & emicue-
runt , cadauera in parietinis lapsantibus , in ru-
dibus macerijs , & in dispersis ruderibus dispi-
cimus , passimque calcamus , de compluribus ;
ecquis illis fuerit locus ? exquiritur , neque , vel
tenuissima supersunt vestigia ; verum hi , quos
Excellentia Vestræ nuncupo , libelli perstabunt
æternum . Præneste quater excidium passa ,
nullum in hisce vñquam experietur , si fauens
tua gratia ipsos benignè , ac perhumaniter
excipias , si calculo suo comprobès , si deni-
que paludamenti sui sinubus foueas . Præne-
ste , inquam , in tanta fortium , quæ ipsi obti-
gere , varietate veteris Fortunæ à poetis confi-
ctæ , atque ab Ethnicis cultæ tutelam inuali-
dam

dam, immò perniciosa cum agnouerit, virtutibus Excellentiae Tuæ fausta, & prospera omnia se debere sentiet, atque grata profitebitur. In illis celebrandis excurrere animus erat, sed vetat, & coercet exultantem cognita, probeque mihi perspecta excelsi animi tui modestia: qua dotes eximias, quibus instrutus, & cumulatus es, exprimere mauis rebus præclarè, fortiterque gestis, quam gaudeas illas iustis licet encomijs prædicari. Vereor præterea ne laudes, si recensere velim, ingenij culpa, penturiaque deteram, neue adulationis specie plenam venerationem imminuam; Habebo sàne quod imputem fauori, & gloriæ, meque felicitatis ad apicem censeam prouestum, si nempe opusculum istud, cuius vestibulum memorabili Tuo nomine illustrare audeo, æqui bonique consulueris. Etenim sic pignus, & monimentum mei erga Excellentiam Tuam propensissimi; addictissimique non ingratum Tibi ipsi fuisse intelligam, meque maiorum, & grauiorum operum molimini mox alacrius accingam.

IN-

